GREGORIUS MAGNUS

Zwettl, 4. Viertel 12. Jh. Seite 26r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31633
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

iudicanti ei a ceteris foris assistitur. Vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoque iudici ipse de his iudicando assistat, ut quanto nunc ante eum quem non videt sollicitus trepidat, tanto eum cum viderit securior cernat. Penset ergo qui ad satisfaciendum districto iudici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficeret, quot regendis subditis preest, reddende apud eum rationis tempore ut ita dicam tot solus animas habet. Que nimirum cogitatio si assidue mentem excoquit, omnem superbie tumorem premit. Et rector providus tanto iam neque rex apostata, neque dux impius vocabitur, quanto ei cogitatione sollicita potestas que accepta est non honor sed onus estimatur. Nam cui esse nunc iudicem libet, huic videre tunc iudicem non libet. Numerari enim culpe nequeunt, que habende potestatis amore perpetrantur. Tunc solum ergo potestas bene regitur, cum non amando sed timendo retinetur. Que ut ministrari recte valeat, oportet primum ut hanc non cupiditas sed necessitas imponat. Percepta autem nec per formidinem debet deseri, nec ex libidine amplecti, ne aut peius quis quasi ex humilitate superbiat, si divine dispensationis ordinem fugiendo contempnat, aut eo iugum superni rectoris abiciat, quo cum super ceteros privatum regimen delectat. Potestas ergo cum percipitur, non ex libidine amanda est, sed ex longanimitate toleranda, ut unde tunc ad iudicium salubriter levis sit, unde nunc ad ministerium patienter gravis innotescitur.

Explicit liber vicesimus quartus.
Incipit vicesimus QUINTUS.

PSA. HUMANE CONDITIONIS QUALITAS indicat quam longe rebus ceteris prestat. Nam collata homini ratio asserit, quantum omnia que vel vita, vel sensu, vel ratione carent, natura rationalis antecedit. Et tamen quia ab internis atque invisibilibus oculos claudimus, ex visibilibus pascimur. Plerumque hominem non ex eo quod ipse est, sed ex his que circa ipsum sunt veneramur. Cumque non intuemur quid ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarum non ex personis sed ex rebus adiacentibus ducimur. Sic quoque fit ut is quoque apud nos intus in despectione veniat qui foris honoratur, quia dum plus que erga illum sunt honorabilis habetur, rebus suis in examine nostro postponitur. Sed omnipotens deus vitam hominum ex sola interrogat qualitate meritorum, et sepe inde plus punit, unde hic maiora ad ministerium contulit, veritate attestante que ait: Cui multum datum est, multum queretur ab eo. Unde bene nunc per Heliu dicitur: Qui non accipit personas principum, nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem. Potest autem per principem vel tyrannum quisque superbus intellegi, per pauperem vero humilis designari. Tyrannum ergo disceptantem contra pauperem non cognoscit, quia superbos omnes vitam nunc humilium deprimentes in iudicio se nescire perhibet dicens: Nescio vos unde sitis. Et quia sic potenter cum vult destruit, sicut cum voluit potenter creavit, apte ratiocinando subiungitur: Opus manuum eius sunt universi. Atque mox subditur: Subito morientur, et in media nocte curuabuntur populi, et pertransibunt. Quamlibet sero de hac vita tollantur iniqui, subito et repente tolluntur, quia dum finem suum cogitando providere nesciunt, subito est quod ante cogitari non potuit. Subito dives ille stultus raptus est, qui horrea que preparaverat deseruit, et inferni locum quem non providebat paratum invenit. Ad aliud exercebat animam per cogitationem, sed aliud emisit per sententiam. Aliud dum viveret contemplatus est, aliud dum moreretur expertus. Relinquit enim diu tractata tempo-